This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Google

Это цифровая коиия книги, хранящейся для иотомков на библиотечных иолках, ирежде чем ее отсканировали сотрудники комиании Google в рамках ироекта, цель которого - сделать книги со всего мира достуиными через Интернет.

Прошло достаточно много времени для того, чтобы срок действия авторских ирав на эту книгу истек, и она иерешла в свободный достуи. Книга иереходит в свободный достуи, если на нее не были иоданы авторские ирава или срок действия авторских ирав истек. Переход книги в свободный достуи в разных странах осуществляется ио-разному. Книги, иерешедшие в свободный достуи, это наш ключ к ирошлому, к богатствам истории и культуры, а также к знаниям, которые часто трудно найти.

В этом файле сохранятся все иометки, иримечания и другие заииси, существующие в оригинальном издании, как наиоминание о том долгом иути, который книга ирошла от издателя до библиотеки и в конечном итоге до Вас.

**Правила использовапия**

Комиания Google гордится тем, что сотрудничает с библиотеками, чтобы иеревести книги, иерешедшие в свободный достуи, в цифровой формат и сделать их широкодостуиными. Книги, иерешедшие в свободный достуи, иринадлежат обществу, а мы лишь хранители этого достояния. Тем не менее, эти книги достаточно дорого стоят, иоэтому, чтобы и в дальнейшем иредоставлять этот ресурс, мы иредириняли некоторые действия, иредотвращающие коммерческое исиользование книг, в том числе установив технические ограничения на автоматические заиросы.

Мы также иросим Вас о следующем.

- Не исиользуйте файлы в коммерческих целях.
  Мы разработали ирограмму Поиск книг Google для всех иользователей, иоэтому исиользуйте эти файлы только в личных, некоммерческих целях.
- Не отиравляйте автоматические заиросы.
  Не отиравляйте в систему Google автоматические заиросы любого вида. Если Вы занимаетесь изучением систем машинного иеревода, оитического расиознавания символов или других областей, где достуи к большому количеству текста может оказаться иолезным, свяжитесь с нами. Для этих целей мы рекомендуем исиользовать материалы, иерешедшие в свободный достуи.
- Не удаляйте атрибуты Google.
  В каждом файле есть "водяной знак" Google. Он иозволяет иользователям узнать об этом ироекте и иомогает им найти доиолнительные материалы ири иомощи ирограммы Поиск книг Google. Не удаляйте его.
- Делайте это законно.
  Независимо от того, что Вы исиользуйте, не забудьте ироверить законность своих действий, за которые Вы несете иолную ответственность. Не думайте, что если книга иерешла в свободный достуи в США, то ее на этом основании могут исиользовать читатели из других стран. Условия для иерехода книги в свободный достуи в разных странах различны, иоэтому нет единых иравил, иозволяющих оиределить, можно ли в оиределенном случае исиользовать оиределенную книгу. Не думайте, что если книга иоявилась в Поиске книг Google, то ее можно исиользовать как угодно и где угодно. Наказание за нарушение авторских ирав может быть очень серьезным.

**О программе Поиск кпиг Google**

Миссия Google состоит в том, чтобы организовать мировую информацию и сделать ее всесторонне достуиной и иолезной. Программа Поиск книг Google иомогает иользователям найти книги со всего мира, а авторам и издателям - новых читателей. Полнотекстовый иоиск ио этой книге можно выиолнить на странице http://books.google.com/

Digitized by Google

P. O. it. in 4°
60e
Baruffaldus
L

<36621072820010

<36621072820010

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

# HIERONYMI BARVFFALDI
## FERRARIENSIS

Intrepidorum Ferrariæ, ac Incitatorum Fauentiæ Academiæ Collegæ

# DISSERTATIO,
## DE POETIS FERRARIENSIBVS

In qua non tantùm Præcipuorum Poetarum, ſed & illorum, quorum Opera, vel deperdita ſunt, vel diffuſa apparent, exactiſſima datur notitia, vna cum eorum operum diſtincta enucleatione.

*ILLVSTRISSIMO DOMINO*

# ANTONIO ESTENSI MVSTIO

Nobili Ferrarienſi, & Meldulæ Rancidorij, &c. Comiti.

FERRARIÆ M. DC. XCVIII.

---

Typis Bernardini Pomatelli. *Superiorum Facultate.*

BIBLIOTHECA

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

# AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM ANTONIVM ESTENSEM MVSTIVM

Nobilem Ferrarienſem, ac Meldulæ, Rancidorij, &c. Comitem.

## HIERONYMVS BARVFFALDVS

perpetuam fælicitatem.

*DVm ſæpenumerò tuorum erga me meritorum, mearumquè erga te obligationum cumulum animo reuoluerem, Illuſtriſſimè Domine, dubitaueram tibi adeò pronum animum meum, quem tot benefitijs deuinxiſti, demonſtrare poſſe, vt me tibi gratum, tùm beneficiorum cauſa, tùm meriti tui amplitudine, dignoſceres. Deo tamen maximo laudes impertior, qui mihi viam, qua id peragerem, indicauit. En igitur tuis adapertum oculis opuſculum meum de Poetis noſtris præbeo. Qualecumquè ſit,*



Digitized by Google

*ſibi maximi honoris erit tua perlectione dignari; nulli enim magis, quàm tibi huius Diſsertationis argumentum aptius, accommodatiusquè iudicaui; Tu enim Muſarum perſæpe immixtus commercio, Muſis es dilectiſſimus. Non hic Maiorum tuorum recenſere laudes conabor, ac Auguſtini Muſtij in Poetica facultate celebris encomia contexere; tuis enim radijs, non alieno ſplendore coruſcas. Audaciam meam non reiecturum te ſcio, æquè enim à maximis, ac minimis obſequia tolleras. Infortunatiſſimum tandem exordiar diem, ſi tuo adſcriptum ſpecioſo nomini opuſculum, alicuius, vel inuidi, vel maledici canino dente dilaniabitur. Tuis eum foueas ſub alis exorat, ſibi ipſi enim tutamen eſſe non poteſt opus in quo de veteri, & caliginoſa hominum memoria incertò pertractatur. Tu interim quod humilimè exopto benignè aproba, mihi autem inter eos, qui publicè priuatimquè tuis obſtricti Virtutibus profitentur locum aliquem tribue, atquè huic obſequij mei teſtimonio veniam diſtribue. Vale diù, Patriæ noſtræ Decus.*

*Ferrariæ die ſexta Martij. 1698.*

L. E.

# LECTORI PRÆFATIO.

MVſarum Diuerſorium, Poetarum Matrem Nutricemquè *Ferrariam* inclytam Vrbem, Patriam meam dilectiſſimam, ſapientum omnium linguis celebratam fuiſſe, nemo non ſine mendacis incuria denegare poterit: & *Eſtenſium Principum Aulam, quæ Ferrariæ olim glorioſè vigebat, ſacris Muſarum conuentibus illuſtrem*, in huius meę pręmiſſionis teſtimonium. confirmat I. Imperial. in Muſeo Hiſtorico f. 132. In hac enim non tantùm armis erudita, ſed etiam litteris armata emicuit Pallas, quæ Nominis ſui memoriam per vniuerſi terrarum Orbis vaſtitatem difudit, ità vt de hac plerique vnà cum Mario Molza cecinerint Vates

*In medio Eridiani ſurgit Ferraria ad vndas,*
*Aureaquè inuictum tollit ad aſtra caput,*
*Qualis ſcepta ardet bacca Gangetide gemma,*
*Atque puellares vectit honore comas;*
*Talis culta inter vicinas enitet Vrbes*
*Clara hominum ingenio, Semideumque Domus, &c.*

Et nupèr italico metro ſuauiſsimus huius ętatis Cycnus, Franciſcus Abbas à Balneo Nobilis Fanenſis in eius Poeticis impreſsis laboribus ſic inquit f. 85.

„ *O pure all'ameniſſima Ferrara,*

„ *Doue il grido de Cigni ogn'altro oſcura,*
„ *E doue ſan ſpeſſo cantando à gara*
„ *Per radolcir col canto ogni mia cura.*

Clarum eſt enim ex hac vrbe, clariſsimos omni genere ortos eſse Viros, ſed Præcipuè in Poeticis facultatibus eminentiſsimos, quì carminum concentu, non Beluas, & ſaxa, vt de fabuloſis illis decantatur, ſed hominum animos armonica vì trahere valuerunt; *Regnat enim hic Virtus admiranda, in Terras à Cœlo delapſa*, vt facundè notat F. Lucas Macchiauellus Bonon. in Orat de Laud Ferrariæ.

Cumquè Iurgium, & emulatio ſint Muſarum alimenta ſuauiora, *Eleuatorum* olìm, nunc autem *Intrepidorum* Cætum, & Academiam omnibus Scientiarum Alumnis apertam exibet Ferraria, quę Prælo quo exarantur codices adiunxit ſpecioſum lema illud *Premat dum Imprimat*, quaſi Academicorum linguà loquens diceret, vt promptè exponit Silueſter Petraſancta in Emblematibus lib. 9. f. 419. *quantumuis premamur litterarijs exercitationibus, imprimimur interim veræ ſapientiæ typis ad nominis famam æternam*. In hac potiores Italicæ linguæ Vates Poeſis pabula emunxerunt, huiuſquè ætatis primæ Muſæ, eam, tamquàm maximi nominis filiorum Matrem, propè venerantur.

Sed vt ad Noſtrorum Poetarum notitiam perueniam, cum plurimi noſtrorum Ciuium clariſsimi ſcientijs Omnibus, varijs hinc indè encomijs celebrentur, de quibus conſule Libanorium, Superbum, Mare-

ſtam

ſtam; & nuper de Iatrophyſicis Ferrarienſibus Dominum meum ſemper colendum Ioſephum Lanzonum Medicinæ, & politioris Eruditionis columen, in eius diſſertatione; Soliquè Poetæ meritis defraudentur laudibus, compluresſquè, adeò ſub ſilentij caligine dormiant, vt eos nunquam vitales expiraſſe auras aliquibus videatur; Iſtorum reuocare deperdita nomina, & eorum ſtudia patefacere excogitaui.

Qualecumquè tamen futurum ſit opus, non adeò ſpernendum reputo, nè Patriꝗ affectio, *ratione valentior omni* aliquantispèr me tueatur.

Triplici Claſſe proceſſurus ero; In prima ſcilicet ſingulatim recenſebo eos, quorum poetica opera tum voluminibus, tùm ſublimitate præſtantia, Autorem ſublimioris notꝗ teſtantur; in altera verò eos exponam, quorum varia, ſed nec in vnum collecta, nec maximi ponderis, poetica ſcripta per litteratorum manus difusè euolant, vel ab aliquo, & quidem fide digno Scriptore, Poetæ nomine honorantur, licet nulla vel temporis vel hæredum Auaritia eorum opera appareant. Tertio tandem loco, enumerationem facere decreui, viuentium huius Vrbis Poetarum, quì ſuis ſtudijs, Patriam noſtram Muſarum ſedem teſtantur, & veterum exemplo conformati, viam ab ijs glorioſè profectam ſtudioſo greſſu proſequuntur.

Hæc habe candide lector, breui Hebdomadarum ſpatio collecta, vt cuiuſdam increduli aures contunderem; non vt, gloriꝗ minimum quidem lu-

lumen adipiſcerer. Plura enim habeo, & meditor, quorum vtiliori, nobilioriquè editione eruditorum Reipublicæ adſcribi, Deo adiuuante, conabor.

Iuſſu Reu. Pat. Mag. Inq. Ferrariæ, vidi ego infraſcript. Opuſculum hoc inſcriptum *Hieronymi Baruffaldi Ferrarienſis, Intrepidorum Ferrariæ, ac Incitatorum Fauentiæ Academiæ Collega. Diſſertatio de Poetis Ferrarienſibus etc.* Quod ad maiora debitæ laudis incrementa tot illuſtrium Virorum, Autoriſque, imprimi poſse cenſeo.

Dat. ex Ædib. S. Dom. Ferr. hac Die 1. Febr. Ann. 1698.

Ita eſt F. Pius de Syluestris S.T.L. Primus, ac S. Offic. Conſult.

Die 8. Februarij 1698.

Supra exarata atteſtatione inſpecta

*Imprimatur.*

F. Carolus Franciſcus Corradus Vic. G. S. Offic. Ferr.

I. B. Eleoſarius Præp. Vic. Gen.

CLAS-

Digitized by Google

# CLASSIS PRIMA
## POETARVM FERRARIENSIVM PRIMI NOMINIS

*Excellentiſsimo, ac Doctiſsimo Domino,*

## FRANCISCO MARIÆ NIGRISOLIO

*Medicinæ Doctori celeberimo, ac in Patrio Ferrariæ Gymnaſio Lectori primario, &c.*

NE' diſcrimen inter sè ſortiantur Poetæ noſtri, lociquè dignitas, nominis ſplendori diſsentiat, eos ſecundùm Alphabeticum ordinem diſponere ſtatui, cum vel de eorum temporis eminentia, vel meriti ſublimitate meum non ſit diſserrere. Et ideò primus in lucem prouemiat.

ANTONIVS BECCARIVS, qui de illuſtri, ac noſtra conciue familia natus, Iatrophyſicus Illuſtris, nec non Poeta celebris, prçter nonnulla Philoſophica opuſcula, (teſte Libanorio t. 3. p. 40.) edidit etiam flebilem epiſtolam italico metro, in ſuppoſito, ſed mendaci Occaſu, nunquam ſatis laudati Poetæ Franciſci Petrarcæ, quæ, notante noſtro M. Ant. Guarino in Comp. hiſt. f. 118., ſic incoat

*Io hò già letto il pianto de Troiani, &c.*

hæc igitur cum de vrbe in Vrbem tranſmigraretur, & ad Petrarcæ manus peruenerit, meruit vt ille lyricorum Poetarum Lucifer reſponſioni incumberet, quæ reſponſio indicatur apud Petrarcæ interpretes, ſilicet Gieſualdum, Vellutellum, Daniellum,

Fau-

Digitized by Google

Fauſtum, &c. ac etiam per adnotatum Guarinum, illam eſſe, cuius initia ſic ſonant.

*Quelle Pietoſe Rime, in ch'io m'accorſi*
*Di voſtro ingegno, e del corteſe affetto, &c.*

Hunc Gaſpar Sardus noſter diligentiſsimus Hiſtoricus folio 116. & ſupracitatus Guarinus, primum Ferrarienſem fuiſſe aſſerunt, qui italica ſuauitate carmina pangeret, ideòque primus in hac diſſertatione ei debetur locus, Mathematicis etiam diſciplinis claruit, vt notat Sanſuinus in famil. Ital. f. 167. plura idiomate latino edidiſſe referens, extra tractatum de Terremotu. Viuebat circa annos 1370. cuius cineres Ferrariæ in Diui Dominici Templo reconditæ ſunt.

ANTONIVS THEBALDEVS, referente Fornario, in expoſitione Furioſi f. 690., & Iouio in Elogijs litteratorum, ferè primus fuit, qui poſt Franciſcum Petrarcam Italicæ linguæ decus Reſtitueret, Romæ vixit, & adeò ſuauiter cecinit, vt eius carmina à Fœminis Romanis Cithara celebrarentur. Encomijs tollitur à duobus ſuæ ætatis Vatibus, Ludouico ſcilicet Arioſto, qui eum Lino & Orpheo comparat, & Hercule Strozza in Elegia ſic incipiente

*Sæpè ego te memini nos Thebaldee monente, &c.*

Cumquè inſurgerent Bembus, & Sannazzarus ſcelectiores Poetæ, latinum ſuſcepit Plectrum & varia texuit opera; tandem octuagenarius Romę in Via lata denatus eſt, & in eius Parochiali Eccleſia S. Mariæ de Vialata tumulatus. Rectæ fuit valetudinis; tantummodò propè ætatis finem iracundia oppreſſus, fores clauſit Domi ſuæ tunc cum Carolus V. inuictiſſimus Imperator, Africanorum Victor, ouans, ibi pertranſiret, cuius cauſam notauit, ſe moleſtè ferre eum Imperatorem triunphantem cernere, qui Romanæ depopulationis ſtrage nihil vlciſcebatur. Huius Poetæ extant Opera, quæ ſic inſcribuntur italicè, *Opere d'Amore*, & latinè, *Carmina varia* collecta vna cum Carminibus aliorum Poetarum, ac etiam referta à doctiſſimo L. Greg. Gyraldo in Dialogis de Poetis ſui temporis. In illis maximè el-

lucet Epitaphium illud ad tumulum Sannazari Neapoli appoſitum. Vixit circa annos 1530.

ANTONIVS CORNAZZANVS, licet Placentinus ab aliquibus appelletur, ex eius tamen operibus ſatis conſtat Ferrarienſem fuiſſe. Vir cum lepidiſſimus, tum doctiſſimus referente I. Baptiſta Giraldo in Comentarijs f. 48. Oratoria facundia inſignis, & Poetica inuentione excellens. Leguntur huius Viri Italicè ſcripta hæc opera. *De re militari*, *Vita*, *& Paſſione di Chriſto*, *Vita della Noſtra Donna*, & latino metro leguntur, *Elegia quadam*, *Poemata Varia*; euolantquè manuſcripta, plurima eius italica *Carmina in Oculorum laudem*, poeticis imbuta amenitatibus, quod refertur in Biblioteca Antonij Franciſci Doni Hetruſci f. 177. Pręcipuum tamen eius opus fuit illud de Rè militari; a quò exercituum Duces, plurima de benè regendis armis carpunt documenta. Viuebat circa annum 1500. eius oſſa extabant in Veteri PP. Seruorum Templo Ferrariæ vt legitur in Guarino. f. 52.

Multa ſcripſit AVGVSTINVS BECCARIVS, ſed tantorum operum penè nulla apparent, vt tamen eius nomen Immortale viuat extat opus Poeticum cui titulus *Il Sacrifizio Fauola Paſtorale*, poetico modo refertum. Hunc ait Superbus in Appatatu f. 103. & Libanorius t. 3. f. 4. Primum fuiſſe, qui Paſtores, & Ninfas in Scenam introduceret, cuius exemplo ſucceſſores Poetæ inuentum hoc ad ſummum auxerunt; viuebat circà annum 1555. Extat eius cadauer in Eccleſia Sancti Dominici Ferrariæ ibi poſitum die 2. Auguſti 1590.

Sæquitur ALEXANDER SALICINVS, qui ſacro Carmelli habitu indutus, Alexandri in Horatij Nomen commutauit. In Iuuentutis flore varios Poeſis fructus edidit, ſed hodiè tantum legitur liber inſcriptus *Soggetti Poetici*, cum alios Adoleſcentiæ Flores igni tradiderit, eò quòd eſſent vano, & laſciuo acumine immixti. Scribente Libanorio, & Superbo. Edidit opus ſuum Italicè, Florentiæ anno Chriſti 1566. dum adhuc Iuueniles numerabat annos.

AN

Digitized by Google

ANTONIVS MARIVS NIGRISOLIVS fuit qui Rempublicam Poeticam ditauit libro quodam inſcripto, *Rime, & la Georgica di Virgilio tradotta:* omnia ſuauiſſimo Muſarum mele condita, & à Poeſis amatoribus laudata. Huius Viri leguntur etiam varia lepida Carmina in Collecta Italica diuerſorum carminum huius generis p. 3. f. 46. & etiam in libro cui titulus, *Tempio alla Sign. Donna Giouãna d' Aragona.* Scribebat annis 1550., quo tempore eius opus edidit Reginæ Bonæ Polonæ dicatum. Ipſius tamen opera ego poſſideo aucta, & moderata, manu propria eiuſdem Autoris.

Illuſtriſſimus ANTONIVS BEVILAQVA Macaſturnæ Comes, Muſarum non parùm amicus librum edidit carminum latino metro, inſcriptum, *Carmina Antony &c.* præter multa alia, nec in vnum collecta, nec inuentu facilia eo quod rapta fuerint, & difuſa inter quæ leguntur varia in laudem Podagræ. Obijt anno 1592. ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo ſexto die 17. Maij, cuius oſſa in Auorum ſuorum Sarcophago condita fuerunt apud P.P. Sancti Dominici.

ASCANIJ PIJ genium hipocrennèo fonte lactatum fuiſſe eius contemporanei fatebantur, ideòque in drammaticis præcipuè texendis carminibus excellentem fuiſſe ob ordinis, & Phantaſię plenitudinem eius opera teſtantur, & quàmplurima, ſcilicet *L' Andromeda. La diſcordia ſuperata, Le Pretenſioni del Tebro, e del Pò. L' Amore trionfante dello sdegno. Il Campo aperto. Ferrara trionfante. Intermedi.* Et alia quæ hic recenſere non memini. Deceſſit poſt functos primiores gradus & dignitates Patriæ ſuæ anno 1649. die 7. Octobris, & in Sacrarum Stigmatum Templo repoſitus, poſtremis fuit precibus ſalutatus.

ALEXANDER II. GVARINVS, ità a Superbo appellatus, è tàm clara ortus fàmilia, quæ antonomaſticè Muſarum Domus vocabatur; verum muſarum Allumnum sè oſtendidit publicando *La Bradamante geloſa. Et Rime varie,* præter alia ſoluta Oratione publicatab. Obdormiuit in Domino circà annum

1630

1630., & in Guarinorum tumulo collocatus fuit in Eccleſia diui Pauli.

De ALMERICI PASSARELLI I.V., & S. Th. D. poeticæ facundiæ eius opera exemplum præbent. Multis Vir iſte ſcientijs ornatus fuit, & nonminus legalibus, & Eruditis, quàm Poeticis facultatibus claruit; ſimulquè, & Aſtreæ, & Apollini placuit. Poetarum oculis expoſuit præter oratoria, & Legalia opera, Poeticos flores, ideſt *Carneuale effigiato. Il furto di Paride. Oritia. Ercole effeminato. Caliſto ingannata. Endimione, & alia Drammata*, quorum memoria nuſquam delebitur. Periit Patauij dum ibi Lectoris munere fungeretur anno 1682.

BAPTISTA I. GVARINVS, à Muſarum ſequella minimè deuians, fuit Iuriſperitus excellens ac Lector in almo Ferrariæ Lyceo, Diſcipulum habuit vt ſcribit Libanotius p. 3. f. 59. Ioannem Picum Mirandulanum Ingeniorum Phænicem; Neapoli Gubernator per plurimum temporis extitit ibi deſignatus a Carolo Rege Angioino. Huius tanti Viri legimus *Poema latinum Herculi Duci ſecundo dicatum, & Bucolicum carmen*. Connumerabatur inter viuos circa annos 1560. de quò conſule M. Antonium Guarinum in comp. f. 179.

Alterius BAPTISTÆ (ab alijs IOANNIS BAPTISTÆ nomine vocati) Viri ſcientiarum omnium acceptatoris, quinam ſatis poterit nomen encomijs collaudare? Ni compendioſæ deſcriptionis legem aſſumpſiſſem, longè mea verba diffunderem ſatis tamen ſit plures de eo difusè ſcripſiſſe, & vltimò Præſtantiſsimum Dominum Apoſtolum Zenum. Venetum in huius Poetæ Vita doctiſſimè publicaſſe in primo tomo Muſei Mineruæ anni 1696. Plura cecinit quæ videntur collecta nomine *Rimarum* ſed Tragicomicum illud opus adnotatum *Il Paſtor Fido* cætera excellit meruitquè exteris linguis euerti, vt vel alienigenæ tanti operis dulcedine fruerentur. Vltimos clauſit dies Venetijs anno 1613. ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto, eiuſquè mortales exuuiæ in Templo diui Mauritij in honoratæ obdormiunt.

BAR-

BARTOLOMEVS PENDAGLIA, cuius Numiſma videmus Pegaſeo equo diſtinctum, poetico exardeſcens feruore proprijſq; nominis, familieq̀uè gloriam exoptans, ſcripſit poeticè, Poematis adinſtar, opus adnotatum *La Geneologia di Caſa Pendaglia*, in quo huius Pendagliæ nominis originem demonſtrat ortum habuiſſe à quodam huius Familiæ (tunc de Cinquentis cognominatę) qui (ſolutis ex improuiſo ſibi femoralibus) viriles inconſideratò partes detegit, pendenteſquè Braccas demonſtrauit, vndè nomen Pendagliæ à pendendo ſortitus fuit, & ſic cantu primo legimus

*La mudanda ſi ruppe, e da i Pendenti*
*Cangiò in Pendaia il nome de Cinquenti.*

Inter viuos connumerabatur circa annos 1570. & in Templo diui Franciſci corpore requieuit.

CÆSARIS GALLVZZI Nomen, huc vſquè noſtris ſcriptoribus incognitum ad auras reuocare fas eſt, cum varij, & quidem plurimi eius Poetici legantur labores, ſed eò diſperſi, vt dificile quidem eos colligere reputem. Perlegi tamen valdè antiquum eius Poema ſic inſcriptum. *Il Valoroſo Ruggiero primo Marcheſe della Città d'Ateſte.* Reſeruatur hoc apud Excellentiſſimum Dominum Doctorem Ioſephum Lanzonum Amicum meum ſuauiſſimum. Ex hoc opere colligo eum vixiſſe circa annos 1550. cum alibi nullam de eo mentionem factam reperiam.

CHERVBINVS THOLOMEVS Can. Reg. Later. quamuis de eo, à noſtris ſcriptoribus reticeatur, Poeta tamen non obſcurus fuit; cuius opus Poeticum inſcriptum *Faſcicolo della Mirata Redentione &c.* 1538 in 4. apud me ſeruatur. In carminibus quoquè Alexandri Salicini inſunt varia eiuſdem Cherubini Carmina Italica vna cum Salicini Reſponſionibus. Scribebat circa annos 1540. obijt Neapoli.

CONSTANTINVS PROSPER in Academijs magnum aſſequutus applauſum. Muſis conſacrauit volumen inſcriptum *Rime*, ac ſeiunctè edidit *Cantum* in obitu Horatij Arioſti pre-

preclariſſimi Poetæ; extabat circa annos 1600.

CÆLIVS CALCAGNINVS Canonicus, maximum illud litterarum lumen, poeticis etiam amenitatibus animum inclinauit, ideoquè eius multa *Carmina* leguntur in collecta Poetarum Italicorum: mihiquè inſunt plurimę eius elegiæ manuſcriptæ, quibus tamquam pretioſa gemma maximè gaudeo. E quibus omnibus colligi poteſt eius in omnibus ſtudiis procliuè & pregrande deſiderium totius mundi oculis notiſſimum. In Biblioteca PP. S. Dominici Ferrariæ abeo ditata tùm Grecis, tùm latinis voluminibus, & huic Monaſterio (cauſa mortis) donata eius tumulum videmus in quo repoſitus fuit Cælius anno 1546. procurante Io: Hieronymo Monferrato gratiſſimo eius Alumno vt ex epigrafe conſtat.

Plurima, & quidem conſiderabilia edidit opera ſoluta oratione P. DANIEL BARTOLVS Soc. Ieſu, quæ nunquam eius nominis memoriam celare poterunt. Iuueniles etiam poeticos euulgauit ſuſus Ioannis Baptiſtæ nomine; quos ſic notatos legimus, *Saggio delle Poeſie morali*: morbo correptus fuit anno 1684. Romę die 13. Ianuarij.

EGNATIVS TROTTVS, Cycni nomine apellatus à Libanorio t. 2. f. 180.; Aſtreæ non tantum, ſed & Apollinis alumnus, litterarum omnium amantiſſimus; præter alia, publici iuris fecit liberculum cuius nomen eſt *Poeſie Liriche*. Apud Regem Chriſtianiſſimum amatiſſimus obijt Pariſijs circa annum 1650. alij è contrà tamen aſſerunt deceſſiſſe Ferrariæ.

De FRANCISCO CÆCO hic ſilendum non reputo; ab iſto enim publicatum fuit priſcum Poema illud, ſed rara inuentione floridum, cui nomen *Mambriano*, Hyppolito Card. Eſtenſi dicatum, à quo ait Guarinus f. 54 Torquatum Taſſum recentiorum Poetarum lumen, inuentum aliquod rapuiſſe, ac in proprium vſum redigiſſe in Hyeruſalem liberata, vt ait Furfurarius Academicus Florentinus. Huius laudatiſſimi Cycni extabant carmina latina, ſed eorum memoria deperdita eſt, exceſſit è viuis, ac humatus fuit Ferrariæ in Veteri Seruorum.

rum Eccleſia circà annos 1550.

Rapuit elapſis nuper annis improba Mors, Comitis FRANCISCI BERNIJ interitu, ab hac vrbe muſarum columen. Tantus enim Vir, adeò poeticis verſabatur elucubrationibus vt neque diem ſine linea nequè, penè dicam, horam ſine muſarum colloquio tranſmitteret Iuriſprudentiæ iuuenilibus annis incubuit, profectuſque ætate Noſtræ Academiæ Intrepidorum Principatum obtinuit, à Clemente Nono Pontifice maximo cui cariſſimus erat honoribus fuit cumulatus, tandem in Patria migrauit è viuis anno Chriſti 1673. ſexagenarius, & in diui Franciſci Eccleſia nobili funerum apparatu Hæredes, & Filij eius oſſa collocarunt. Extant tamen ad eius nominis famam diuulgandam hæc Opera Poetica præterea ſoluta Oratione euulgata, tomus vnus inſcriptus *Drammi*, in quò duodecim ni fallòr includuntur Drammata. Nuper veruntamen per eius Natos publicata fuere duo Drammata poſtuma ſilicet *Il Telefo, & l'Atalanta*. Leguntur etiam il *Tebro epitalamio, le pretenſioni del Tebro, e del Pò, i ſei Gigli*, præter varia difuſa carmina varijs in libris.

Dicant alij FVLVIVM TESTIVM lyrici metri ſplendorem, alienæ vrbis quàm Ferrariæ filium; Ego tamen inter Ferrarienſes Poetas cum connumerare audeo, cum extrà obitum, omnes Vitæ ſuæ vices Ferrariæ duxerit, In hoc natalia traxit, vt notat Majolinus Eques Biſaccionus in quadam Apologetica epiſtola ad ſupranotatum Fuluium, in quà lepido modo eius exigua aperit natalia, ita ſcribens, *chi non sà, che il Sig. Giulio voſtro Padre in Ferrara teneà riscontro à S. Domenico la Speciaria della Ceruа, e che in quella caſa ſiete nato?* Ex quò colligi euidenter poſſumus Ferrariæ ortum habuiſſe, quòd tamen Fuluius diù in Eſtenſium illuſtri Aula vixerit, ſi ignores, videſis plures huius Poetæ Vitæ ſcriptores, & precipuè Craſſum in Elogiis, ac memorias Academicorum gelidorum Bononiæ. Extant huius Vatis *Poeſie liriche* tomi 3. Infeliciter occubuit Mutinæ anno [illegible]

GA-

GALEATIO GVALENGVO Nobili Ferrarienſi, & Academico Intrepido celebratiſſimo, locum hic aſſignare non deſiſto; fuit enim Vir iſte Poeticis operibus celebris tùm Italicè, tùm latinè editis, & ſunt *Sonetti Sacri* liber vnus *Sacra Epigrammata* liber alter. Vrgenti febre, interioriquè morbo exanimatus interijt anno Chriſti 1623. die nona Octobris, ac reconditus fuit in Eccleſia Soc. Ieſu. Primum Patriæ ſuæ locum obtinuit cum Iudicis Sapientum dignitate fungeretur anno 1612. Philoſophicis quoquè ſcientijs ſedulò incubuit, & Iuriſprudentiæ extitit maximum ornamentum ſi credimus P. Superbo f. 108.

GALEATIVS de priſca, & nobili ſtirpe ADELARDA referente Libanorio t. 3. f. 107. librum typis dedit inſcriptum *Sonetti, e Madriali* in Deiparæ laudem; extabat circà annum 1650.

HERCVLES STROZZA Titi filius non deuius à Patris exemplo, immò Patris Muſam ſuauitate antecelles, *Epigrammatibus, Elegijs, & Amoribus*, ſibi in Eſtenſium aula, & tota in Italia ſplendorem auxit. Infortunati tamen eius amores eum ad exicium duxerunt, vt affert Iouius in Elog: nam dum Taurellæ Fœminæ venuſtiſſimæ, ac nobiliſſimæ Amore exardeſceret à tyranno Riuali Noctu miſerimè occiſus fuit, anno Redemptionis 1508. dum Patriæ ſuæ Sapientum Iudicis honore, & onere frueretur. Huius excidij autor latuit vt notant hiſtorici, Prætoris voluntaria incuria; eius funus tamen ſolemnitèr in Diuæ Mariæ à Vado nobiliſſimo Templo celebratum fuit, ad quod, funebrem habuit Orationem Cælius noſter celebratiſſimus.

HERCVLES BENTIVOLVS, omnes temporis captauit articulos vt Poetæ nomine, & quidem meritò celebraretur. Luſit enim comicis carminibus, Satyricis, Lyricis, ac Paſtoralibus auennis quandoquè vſus eſt, generis Nobilitati verum virtutis ſplendorem affectatus eſt ſcribendo *Il Geloſo. Il Romito. Fabula. Il ſogno Amoroſo. Egloghe. Stanze poetiche*

*Ariana Tragedia. Satire. Madrigali. Sonetti*, & alia difuſa à quibus omnibus eius mira in carminibus facundia deduci poteſt. Æuo grauis vitam cum morte commutauit in inclyta Venetiarum Vrbe anno 1572. ſexageſimoſeptimo eius vitæ anno.

HIPPOLYTVS quoquè de eadem inclyta, ac multorum Heorum geſtis celeberima Familia, medijs in Politicæ, & eruditionis ſtudijs, Muſarum delectabatur conſortio, ideòquè publicis tradidit Academijs Drammata *L'Annibale in Capua, la Filli di Tracia, L'Achille in Sciro*, & alia quamplurima. Æuo grauis correptus fuit in eius Patria anno 1685. die prima Februarij, ac in PP. Capuccinorum Templo depoſitus; ſic Ferrarienſi populo ingens deceſsit columen, eò vtilitatis publicę curauit commodum dum pluries Patris Patriæ officio fungebatur.

HERCVLES BONACOSSA ſæpiſſimè Chelin ſuam ſocco, & choturno indutam in ſcenas introduxit ideòque præter difuſas poeticas memorias habemus poeticè il *Maſſiniſſa, & la Semiramide* Drammata. Ceſsit morti anno 1691. die duodecima Decembris.

HIERONYMVM PORTVM hìc addo nè eius memoriam imprudenter ſileam, Iuriſprudentia excellens fuit, ac Muſis amicus. Locum ideò acquirit inter noſtros primi gradus Poetas, cum valdè inſudauerit his operibus Poeticis *Poeſie liriche, Poeſie ſacre, e morali. Oda per il Terremoto. Capricci Poetici*, & alia variorum autorum libris difuſa, Huius Poetæ varia Poetica opera poſtuma manuſcripta apud mè locum habent, quæ aliquando ab obliuionis iniuria vindicare meditor. Fatis perfunctum habemus virum hunc in diui Stephani templo anno reparatæ humanitatis 1660 die 4. Iunij.

Ducatus etiam Ferrarienſis Coloni, tanquam membra noſtræ Vrbis ad corpus ſuum ſunt redigendi. Extat Opidum cui Nomen Italicè Bagnacauallo in Ferrarienſi ditione, in hoc varij egregijquè Virtutis amatores nati ſunt, interquos

cele-

celebris Thomas Garzonius, & alij. Seculis tamen elapſis, & præcipuè circa annum 1580. enitebat HIERONYMVS SORBOLVS I.V.D. qui non modici ſplendoris radios difudit. Principum Eſtenſium amatiſsimus ob eximiam eius in cauſis perorandis eloquentiam, varia poetica edidit opera ſcilicet *Rime Spirituali, Comedia, & Verſi faceti.*

HIERONYMVS TISIVS GARIOPHILVS Benbenuti celeberimi Pictoris filius, vir ſummæ integritatis, ac multę lectionis vt in eius Sepulcrali Eulogio, quod in Templo Diuę Mariæ in Vado legitur videre eſt. Quadrageſimo quinto eius æui anno deceſsit, ac pub. Sal. 1581. poſt editionem opuſculorum variorum, videlicet *Vita di Lodouico Arioſto, & Stanze in lode d'vna Gentildonna Ferrareſe per Nome Diana, &c.*

Fuit & IOANNES BAPTISTA PINEA non tantùm hiſtoricus noſter diligentiſsimus ſed & Poeta egregius, extant eius *Carminum libri quattuor* in Collecta Poetarum Ranucij Gheri. Italicè quoquè luſit, videmuſquè cantum vnum inſcriptum l'*Aronco*, aliaquè Varios per libros difuſa. Medicina excellens quoquè inter noſtros Iatrophyſicos numeratur, Principibuſquè Eſtenſibus, & præcipuè Alphonſo Secundo amatiſsimus, cui erat à ſecretis, maximis in Reipublicæ negocijs mediator. Fatali falce exitialem excepit ictum raptuſquè fuit anno 1575. eius vitæ 72. & in Diui Franciſci Templo tumulatus adhuc ſui memoriam, ſuis in ſcriptis reliquit, & in numiſmate eius effigie inſignito, indelebilem habemus monumentum.

IOANNES MARIVS CRISPIVS Comes, Poeſim ſcriptis illuſtrauit exponendo hæc *Ode in Obitu Sereniſſimi Mutinæ Ducis, ac in Obitu Alphonſi Eſtenſis eius Filij*, & alia carmina March. Mario Calcagnino directa, è quibus omnibus Poeſim ſedulò amaſſę deducimus mortuus eſt Ferrariæ anno 1676. die Martij ſecunda.

IACOBVS LABETIVS Can. Reg. pratèr Oratorios libros etiam edidit, *libros quattuor Carminum, ſeptem Peniten-*

*viales Pſalmos metricè*, *Hymnum vnum idiomate græco*, in qua lingua perfectiſsimus nuncupabatur. Religionis ſuæ primas occupauit ſedes, tandem dies clauſit ſexagenarius circa annum 1540.

IOSEPH PANINVS Comes, licet Centenſis origine, à Noſtro Libanorio inter Ferrarienſes inſeritur. Poeticè ſcripſit & publicauit *l'Eſter*, & *l'Artemiſia* dramata, & *Poeſie varie*, morte correptus fuit anno 1692.

IOANNEM BAPTISTAM RECALCVM teſtantur Poetam fuiſse eius varia *lyrica carmina* & Dramma illud, cui titulus *Nozze di Proſerpina*. Iuuenem fortaſsè deceſiſse putamus eò quia nullam de eo memoriam habeamus maiorem, quo anno occubuerit ignoramus.

IOANNES BAPTISTA CINTHIVS GIRALDVS, non Muſarum Alumnus, ſed filius, quem conſilijs, & prudentia præſtantiſsimum varijs, vrgentibuſquè negotijs periclitata eſt Ferraria. Præter ſoluta oratione edita, in lucem edidit etiam *Tragediarum tom. 1. Egle Satyra, l'Ercole Poema, & Rime varie*, & latino metro, *Carminum libri duo* extant, *de Victoria contra Turcas*, & alia notiſsima opera. Animam Deo reddidiſſe hunc virum habemus, anno 1573. ætatis ſuæ ſexageſimo nono. Philoſophiæ, & Medicinæ quoquè ſtuduit laurcamquè tot meritis debitam obtinuit; Giraldorum familia ſic, à Iacobo Gaddi in libro de Scriptoribus laudatur. *Giraldos plures Ferraria tulit Poetas, litteraria Fama inſignes*, varijſquè encomijs ab alijs autoribus extollitur.

IOANNES BAPTISTA ESTENSIS TASSONVS, Nobilitatis generi litterarum ſplendorem addidit ideòquè Italiæ in Academijs maxime eluxit, exponens, *La Conteſa d'Amore Drama*, *Intermezi varij*; & alia quam plurima. E' viuis abijt circa annum 1634. cum diu fuerit Cathed. noſtræ Archipresbiter.

IOANNES BAPTISTA MORONVS quem Incognitorum Academia permultò celebrat; Poetico epoto lacte plures produxit

duxit fructus, Volumen vnum Poeticum præ manibus habuit cui nomen fecit. *Genij Poetici*. Plura de hoc viro habemus in Scena Litteraria Bergomenſium Patris Donati Calui. Vitæ tamen curſum peregit dum maiora meditabatur, adhuc feruentis vitæ ſuæ Euo, anno ſalutis 1645.

LVDOVICVS PICTORIVS, cognomento BIGHVS, Vir pietate, & doctrina inſignis, varias dum Sacerdotij munere fungeretur elucubrauit litteras ſpirituales. Luſit etiam poeticis ſtudijs, & legendos pręſtitit *Epigrammatum libros ſex*, *Goricia libros tres*, *Candidorum libros 5. In cæleſtes Archangelos centurias hymnicas*, *opuſculorum Chriſtianorum libros 3. Candidorum libros 5: Epitaphiorum librum ſingularem*, *ſatyram ſacram*, & alia, quorum operum ſæpe vtimur ſuauitate, recondita enim eſt in illis, rara, & excellens doctrina. Iunctus fuit Amicitiæ vinculis, tàm celeberimo Ioanni Pico Mirandulano, cuius ingenij perſpicacitatem meum non eſt hic recenſere. Floruiſse hunc Poetam habemus anno 1520. de què eius operibus varijs ab Auctoribus fit mentio, circàquos conſule Libanorium p. 3. f. 189.

Si omnes hic enumerare auderē laudes quibus Noſter inclytus Vates, & Poetarū Italicorū Princeps LVDOVICVS AREOSTVS cumulatur, volumen texerem, pluresquè ſupereſsent. Hoc vnum tantùm affero, eum Illius Poematis inſcripti *L'Orlando Furioſo* auctorem fuiſse; ſiquè nullos præter Ludouicum Ferraria noſtra peperiſset Poetas, Iſtius ſolummodò nomen ſufficeret ad hanc noſtram Poetarum matrem Ciuitatem ſuper alias illuſtrandam. Vt exteri quoquè tanto Poęmate fruerentur varijs innumeriſquè linguis euerſum fuit, nec adhuc ſuæ glorię apex imminutus eſt. Ex eius Numiſmate malum prò bono recepiſse deducitur, de hoc enim in *ſatyris* ſæpè queritur. *Comædias* quoquè quinque edidit, ac *Poeſium variarum librum vnum:* varijs itidem *latinis* carminibus inſudaſse colligimus. Laurea Poeſis inſignitus fuit Mantuæ per Potentiſsimum Carolum V. anno 1532. Humanos tandem compleuit labores, die 6. Iunij anno

 1533.

1533. ętatis ſuæ ſexageſimo nono, eiuſquè cineres in diui Benedicti Templo, procurante, prius pijſsimo conciue noſtro Auguſtino Muſtio, ac indè pronepote Ludouico Areoſto, reconditi fuerunt ac nobili tantoquè viro debito Mauſoleo eius cum naturali efigie honorati, ad quod ſæpè Exteri omnes Ferrariam petentes ſedulò currunt, meritaſquè pænè cum lacrymis effundunt laudes, hoc notantes Æpitaphium incerti Auctoris.

*Notus & Eſperijs iacet hic Areoſtus, & Indis,*
*Cui Muſa æternum nomen etruſca dedit.*
*Seu Satyram in vitia exacuit, ſeu Comica luſit*
*Seu cecinit grandi Bella Ducęſquè Tuba.*
*Ter ſummus Vates, cui docti in Vertice Pindi*
*Ter gemina licuit cingere fronde comas.*

De LILIO GREGORIO GIRALDO, Eruditionis ſplendore pauca dicam, cùm ex eius Operibus, Poeticum genium dignoſcamus. Fuit enim latinis, græcis, hæbraicis litteris inſignis, Philoſophus, Orator, & Poeta, nec non Cathedralis noſtræ Canonicus. Præter centiès impreſsa eius erudita opera, ſcripſit etiam *Poemata quadam, & Epitalamia, Hymnos, Elegias, & Epigrammata*. Memoria fęlicisſimus fuit, ideoquè omnia audita, currente eloquentia mirabiliter enarrabat. Tumulum ſibi erexit ſeptuagenarius anno 1550. in Eccleſia Cathedrali, in quò paucis poſt annis, longo opreſsus Podagræ, Chiragræquè morbo repoſitus fuit.

Ingeniorũ fęrax Opidũ Cotignolę in lucem edidit MARCVM PETRVCINVM, quē multùm inſudaſſe videmus ab omnibus eius Poeticis operibus, quæ ſunt *Poeſie libri* 4. *Ode ſacre, e morali; La coſtante Celinda, Rime varie*, & alia. Extrà ſeriem quoquè eius carminum legitur *Epitalamicum carmen* in Nuptijs Iuliæ Farneſiæ. Enitebat circa annos 1650.

MATTEVS MARIA BOIARDVS, Comes, Poeſi inſtructus, & ſagax inuentor, Poema illud præter alia euulgauit, quod legimus inſcriptum *l'Orlando Innamorato*. Laudibus refſertum varijs ab Auctoribus, & præcipuè Guido Pancirolus hoc

de no-

Digitized by Google

de noſtro Poeta notat, Hunc ſcilicet, emphatico œſtro Poema ſuum recitaſse, & animos auſcultantium mirificè commouiſse. Adeò huius Poematis intentio placuit Ludouico noſtro, vt eadem hiſtoria nouum perfecerit Poema. Philoſophicis quoquè, ac legalibus enituit ſtudijs, & ob miram eius ſuauitatem Cubicularius electus fuit Herculis Eſtenſis Ferrariæ Ducis ſecundi, prò quo Neapolim profectus Eleonoram de Aragonia Herculis ſponſam, Ferrariam duxit. Ætas ipſi ſupra ſexagenaria, indoles perſpicaciſsima, animus grauitate ſpectabilis, corpus tamen, licet bene compactum, & vegetum demiſsæ fuit altitudinis. Pluribus à ſcriptoribus commendatur, de quibus conſule Libanorium. Oſsa eius dormiunt in Eccleſia Cathedrali, teſte Guarino ibi collocata circa annum 1500.

PIVS ÆNEAS OBIZZO Marchio, veræ nobilitatis ſpecimen, Natalium ſplendorem litteris auxit. Publici Iuris fecit multa Poetica monumenta ſcilicet *L'Ateſtio Poema*, *L'Erminia Dramma*: *La Dafne*, *Il Ratto di Proſerpina*, *Poeſie Liriche libri 5 Il Philoteuco*, *le Hierophonie*, *l'Amor Riformato*, *Le gare Marine, &c.* ob ſtyli nobilitatem celeberima. Exitiali correptus falce efflauit animam Patauij anno 1674. eiuſquè cineres in Diui Antonij Templo tumulantur.

TORQVATVS TASSVS Eroicorum Poetarum Decus, licet Bergomas origine, à Superbo, & Libanorio inter noſtros Poetas inſeritur; & vt dicam quod circa hoc ſentio, Potiores habet rationes Ciuitas noſtra eum conciuem ſuum adſcribendi, annos enim ſupra viginti Ferrariæ commoratus eſt, & in hac vrbe ſuæ fortunæ vices ſuſtulit, ibi ferè per nouennium in Hoſpitali Sanctæ Annæ, velut inſanus, cuſtoditus fuit, licet parùm, & raro hac lue, ei alta ab origine deriuata, vexaretur. In hac edidit prçter *Poeſium tomos ſex* quorum incluſa varia non recenſeam, opus maximum illud, quod ſummis vſque ad cælum laudibus extollitur, *Il Goffredo, ò ſia Gieruſalemme liberata*. *Diameron* quoquè ſoluto carmine Romæ edidit ſingulari eloquentia, & doctrina refertum, vt petitionibus ſatisfaceret Vxoris



Digitized by Google

Equitis Io Baptiſtæ Manſij, qui poſtmodùm, ex profeſsò, eius exactiſsimam Vitam conſcripſit. Legitur etiam huius Viri Poemà la *Geruſalemme conquiſtata*. Canere deſijt Romæ priuſquam laurea in Capitolio decoraretur anno 1595. VI. Kal. Aprilis. Si Eius cupis vitam omnibus particularitatibus diſtinctam, vide ſupranotatum Manſum, & Guidũ Caſonum, alioſquè pænè infinitos.

TITVS VESPASIANVS STROZZA, Herculis Pater, Nobilitatis genere preclariſsimus. Typis dedit multos *carminum* libros vnà cum eius Filij Operibus impreſsos. Extat etiam *Borſeis* Poema M.S. vt notat Giraldus in Dialogo de Poetis ſui temporis f. 31. canebat circa annos 1470. maximus fuit ſapientum Męcenas, Leonelliquè Marchionis Eſtenſis Præceptor.

Bartolomeus Brusantinus

VINCENTIJ BRVSANTINJ COMITJS, iam ab omnibus legitur Poema illud adnotatum *l' Angelica Innamorata*, à quò eius Poetica facundia, quamuis alquantùm rudi, et priſca interrupta rubigine, dignoſcitur. Notat Anton. Franciſcus Donus in eius Biblioteca vidiſse huius viri manuſcriptum, ni fallor, opus, cui titulus *Le cento nouelle del Boccaccio in Verſi*. Repentino morbo, dira lues eum abſtulit circà annum 1570. & in diui Franciſci Templo ad expectandam magni Judicij tubam collocatus fuit.

Et iam huius primæ Claſsis Finis inſequitur. Tù verò, pręſtantiſsime Domine, hæc prono, benignoquè Vrbanitatis tuæ oculo conſpice. Plurimi enim, ſcio, non deerunt, quì opus hoc tanquam incomptum, & inuenuſtum reijcient, ſed ſatis hoc mihi vnum erit, vt, tù animi mei, tenui hac in diſsertatione, deſiderium dignoſcere velis, & Primitias has quaſcumquè ingenioli mei, non venuſtatis ſuæ, ſed humanitatis tuæ gratia, lubens reſpicias, legas, & approbes.

*Claſsis Primæ Finis.*

CLAS-

Digitized by Google

# CLASSIS SECVNDA

## DE POETIS FERRARIENSIBVS,

Quorum Scripta tenuia ſparsìm leguntur.

*Eruditiſſimo Viro, Domino*

## IOSEPHO LANZONO,

Philoſophiæ, & Medicinæ Doctori prçclariſſimo, in Patrio Gymnaſio Lectori, ac in Leopoldino-Imperiali Academia Aſſociato, Amicoquè meo prçſtantiſsimo.

NE pereant omninò, pænè deperdita Aliquorum Ferrarienſium noſtrorum Nomina, qui aliquo modo Poeſis ornamento emicuere, hanc ſecundam Claſsem exordior vt manifeſtò pateat, frequentem, immò continuam floruiſse Ferrariæ Poeſis amenitatem, & vltrà eos quorum fama toto orbe euulgata eſt, alios etiam enituiſſe, qui huius ſtudij nobilitate gauiſi ſunt, nec eos Poetas non fuiſſe (ob eorum operum obliuioné) aſſerrere fas eſt; ab ijs enim ſcriptis quæ aliquò modo, licèt rarò videmus, eorum ſtudia dignoſcimus.

ALEXANDRVM de AGLIS multa poeticè ſcripſiſse, & Leonelli Marchionis Eſtenſis Rhetoricæ Preceptorem fuiſse, Titi Strozzæ loco, & ob eius Virtutem Eſtenſibus dilectiſsimum, notat Eques Alphonſus Mareſta acuratiſsimus Rerum noſtrarum ſcriptor in eius Theatro Geneologico t. 1. f. 13. extabat circa annos 1440.

ALPHONSI PANCIJ, Medicinæ Doctoris, nomen ſub-

ſcri-

ſcriptum] legiſse memini, aliquibus græcis carminibus in præcedentibus Prolegomenis cuidam libro Ioannis Baptiſtæ Bonacoſſæ de Laudibus Herculis Secundi Ferr. Ducis. Ex quò illum græcis, latiniſquè litteris verſatum credere fas eſt, nec non in carminibus pangendis fælicitate ditatum; meminit huius Viri Libanorius t. 3. f. 151. Eum floruiſſe trahimus circà annos 1555.

AVGVSTINVS, de Antiqua, & Illuſtri domo ARIENTA legendam prestitit Comædiam adnotatam *Lo Sfortunato*, à qua diſcere abũdè poſsumus fortunę vices imperturbata fronte tollerare. De Auguſtino tractat Libanorius t. 3. f. 7. & Guarinus f. 294. & circa annum 1570. deceſiſse traditur. Hunc etiam, notat Eq. Mareſti in Theat. Gen. t. 1. f. 63. deſcripſiſse, ac typis publicaſse librum inſcriptum, *Cavallerie di Ferrara*, in quò publicos feſtus ac ſolemnes pompas, in Eſtenſium Aula celebratas mirificè narratas habemus.

ANNIBALEM POCATERRAM Virum Poeſi verſatum fuiſse poetica eius ſcripta oſtentant, referente Libanorio adnotato f. 36. & Guarino f. 27. ſed cum, nec mihi, nec alicui amicorum meorum manibus occurrerint, eorum titulum afferere nequeo. Fuiſſe tamen doctum Poetam conſtat, ab eius ſingulari cum Torquato Taſso amicitia à quò ſæpè varijs laudatur carminibus, & ei inſcribitur Dialogus de Ludo, cui titulus *il Romeo*. Extinctus eſt circa annum 1590. maximo Torquati mærore. Eius oſſa in Cathedrali noſtra reſeruantur.

ANNIBALIS ROSSELLI extàt *Epitalamium* in nuptijs Federici Pici, & Hyppolithæ Eſtenſis in Colecta epitalamica Sancti de Paſtis Poętæ Ferrarienſis, anno 1594. typis tradita.

De ANTONIO BEVILAQVA notat Liban. t. 3. f. 38. Poetam non inſuauem fuiſſe, & legi poetica eius opera vna cum carminibus Hieronymi Falletti impreſsa. Ego verò, Pace noſtri Libanorij, eũ erraſſe aſſero; in Carminibus enim Phaletti nullius Antonij Beuilacquæ fit mentio, ſed tantùm leguntur *Alphonſi Beuilaqua* varia epigrammata. Æquiuoco, ideò eum laboraſſe credere poſſumus. Mortem ſubiuit circa annum 1580.

AL-

ALPHONSVM FIORNOVELLVM, Virum non tantùm Aſtreæ, ſed & Apollini Sacrum fatentur eius eroica Carmina italica, litterario orbi ſacra in nobili quodam Libello inſcripto *Accademia Eroica*. Vir fuit admirandæ, ac vegetæ ſenectutis, conſilio, ac pietate pollens magna què in exiſtimatione Bonifatio Cardin. Beuilaquæ, cui à ſecretis extitit. Viuebat circa annos 1520. ætate profectus.

ALEXANDER GVARINVS I: Herculis Secundi, Ferrariæ Ducis IV. à Secretis, vt meminit Superbus f. 107. & Guarinus f. 178: variarum legationùm munere miſſus, ſe tandem Muſis dedit. Multa eius poetica manuſcripta extant, ac illuſtre illud *Enigma*, adhuc inſolutum, in obitu Præclariſsimæ fæminæ Philippæ Varanæ de Camerino, quod in Sanctæ Mariæ in Vado, ab vno latere Sacelli, & Tumuli Familiæ Varanæ perlegitur.

De ALPHONSO GVARINO ait Libanor p. 23. inueniri quædam carmina ante librum Baptiſtæ Bonacoſſę de Laudibus Herc. ſecundi Ducis, in quorum carminum titulo, appellatur ipſe Alphonſus Vir magnificus, & doctiſsimus. Ego vero, eius argutam poſsideo *Comediam* typis quidem publicatam, inſcriptamquè *Lo ſponſalitio*, dulciſonis redundantem numeris in cuius titulo Alphonſus, Baptiſtæ filius dicitur. Muſis loquebatur circà annos 1560.

AVGVSTINVS MARTINELLVS, Litteratorum oculis prçter Juris allegationes, & Orationes exibuit varios hinc indè efuſos Poeticos flores, qui in fronte quorundam voluminum leguntur Nuper deceſsit, & ob præclaras ipſius dotes collacrimatus fuit.

ALBERTVS LOLLIVS Vir doctiſsimus, qui Orationum Volumen edidit; mirabili fuit eloquętia præclariſsimus, & Oratorię Italicę facundiæ ſplendor. Poeticis etiam amenitatibus, & quidèm cunctantèr incubuit, & tanquàm eius eſtri ſpecimen publici Juris fecit *L' Aretuſa Comedia* Leguntur etiam huius cycni varia poetica in Volumine inſcripto *il Tempio della Signo-*

ra

*ra Giouanna d'Aragona:* Alberti non tacuit Salicinus Noſter, immò eum Poetæ nomine honorat in eius Subiectis poeticis. Lepidis etiam carminibus luſit, videmuſquè eius inuectiuam in vituperationem ludi Italicè del *Tarocco*, in Collecta carminum huius generis ædita Venetijs 1592. Benedicto Mamarello procurante. Vſquè ad vltimam ſenectutem peruenit, vt ex eius Efigie in numiſmate ſculpta videmus, & vt ante oculos habeo in eo, quod Nicolaus Baruffaldus Pater meus inter alia reſeruat. Viuere deſijt 1569. ſeptimo Kal. Decembris, & in Eccleſia Sancti Pauli tumulatus fuit.

ALPHONSINI TROTTI legimus varia italica carmina in laudem Franciſci Patricij, inſerta in libro attitulato *Scena d' Huomini letterati del Craſſo*. Occubuit ſeptuageſimo octauo eius vitę anno 1554. eiuſquè Cineres conditæ fuerunt in B. M. V. in Vado nobilliſsimo templo, vt affert Guarinus f. 317.

ALPHONSVS PANDVLFVS Epiſcopus Comacclenſis Eccleſiæ, ſeriò tantum ſuſtinens gradum, aliquando tamen Poeticis elucubrationibus animum Relaxauit. Legimus eius *Satirãin Comaclenſens*, quæ tanquàm acutiſsimis referta ſalibus per litteratorum manus euolat manuſcripta. Obijt fæſsus æuo anno 1648. Ferrariæ ac translatus fuit ad eius Epiſcopatum, & in maiori Eccleſia humatus.

Ex ALPHONSI PAIOLI ſcriptis, colligere decet eum excellentis fuiſſe ingenij, præter Hiſtoricas Narrationes Dramma vnicum habemus, ſcilicet *Dauide Pentito* mortuus eſt annis nuper elapſis.

ALOYSIVS TOMBESIVS opus publicauit inſcriptum, *Genetliacon Mercurij*, *& Apollinis Paan* in Luſtralibus March. Aloyſij, & Cornelij Bentiuoli anno, ni fallor 1670.

ALBERTVS GALVANVS licet Centenſis Origine, Domicilio tamē Ferrarienſis, ædidit *Tragicomœdiam* Spirituale, iuxtà id quod legitur in Libanorio f. 200.

ANDREAM TRISTANVM Poetam Ferrarienſem indicant varia, & quidem ſuauia eius poetica fragmenta inſerta in

Li-

Libro edito in Nuptijs Marci Pij de Sabaudia & Cleliæ Farneſiæ anno 1587. & varia alibi diffuſa, laudantur etiam diffuſè à Torquato Taſſo in eius operibus.

ALBERTI LAVEZOLII obſeruationes legimus in Furentem Orlandum in quibus eius Poeticum ſtudium maximè elucet, licet nihil adhuc huius viri poetico metro compactum per manus habuerim; vitali ſpiritu fruebatur circà annos 1580.

Habet & ſuas ſequaces muſarum Chorus, nec Viris tantum gaudet conſociari quàm Fœminis. ANTONIA de antiqua, & clara ſtirpe NASELLA vnà cū duabus ſororibus Ferrarienſibus, de quibus ſuo loco dictum, celebrantur in antiquo marmore, Poetica Arte inſtructæ, vt de illis tractat Fauarinus f. 191. De his adhuc nihil poeticum perlegere potui non deſpero tamen temporis tractu aliquid harum Poetridum, mè fore viſurum.

AVGVSTINVS FAVSTINVS animam Deo reddidit circa annum 1658. pluraquè poſthuma reliquit. I. V. D. non inceleberis, Hiſtoricuſquè noſter notiſsimus fuit, edidit etiam poeticà Tragœdiam ſpiritualem nuncupatam *Theodora Vergine Aleſandrina*.

ALPHONSVM GIOIAM I. V. D. perſpicaciſsimi Iudicij Virum, Philoſophum, & Mathematicum fuiſſe inſignem. Illi dicant quibus tanto viro frui datū fuit. In poetica diſciplina non parùm elucens etiam habebatur, nullus tamen laborum ſuorum, eius nomine honoratur. Pro certo tamen habeo plura Poetico metro edidiſse quæ per ſtudiorum menſulas euolant, Itemquè ſcio doctiſsimis comentarijs, Dantis comœdiam illuſtraſse. Opus tamen imperfectum reliquit, ætate enim valdè profectus, morbo opreſsus raptus fuit anno 1687. Kal. Nouembris, & in Diui Martini Oratorio tumulatus. Eius ſcripta ſeruantur in Archiuio Sereniſsimorum Mutinæ, quibus erat Chariſſimus, ab eo (mortis cauſa) donata.

Anno 1600. enitebat ALOYSIVS ZERBINATVS eruditiſsimus Vir, varijs operibus clarus, Principibuſquè vinctiſsimus; ſubſecundarias Horas Poeſis ſtudio impendidit in quibus

Digitized by Google

bus multa edidit, & nunc leguntur varia carmina in præceden-tibus encomiis cuidam Gratiodi Guidubaldi Comitis Bonarelli.

ALBERTVS CISTARELLVS vt mentio eſt apud L. G. Giraldum in Dial. de Poetis ſui temporis, mihi f. 107. doctrina, & pietate clarus, qui morte ex improuiſò inuaſus, ſe & ſcripta ſua deperdidit, præter *Poema* Heroicum non ſpernendum, quod in D. Annam Gorriciam elucubrauit, quod & Romæ, vbi Albertus deceſsit, excuſum fuit. Hunc curiæ Romanæ ambitio Romam tranſtulit, ideòquè pauca, immò nulla eius opera hic viſuntur. Admiror tamen contemporaneum noſtrum alioquin induſtrium Historicum Equ. Alphonſum Marcheſiũ ſcriptorem ſolertiſsimum, ac amicum meum Dominumquè ampliſsimum, in Theat. Geneol. loquentem de Familia Ciſtarella, hunc Albertum vel neglexiſse, vel ſpontè reticuiſse, cum virtutibus ſuis, digniſsimus celebrari fuiſset.

Alfonsus Nigri Osolus

ALBERTVS REGIENSIS, à eodem Giraldo, f. 99. collaudatur, & *Epigrammata tersa* ſuprà ferè quàm credi poſsit pulcherrima, & argutiſsimis Ritmis feciſse aſseritur.

Ibidem etiam f. 54. connumeratur inter Poëtas ANTONIVS MARIVS VISDOMINVS, inquit enim ipſe, *Carmina multa ſcripſit, & in dies ſcribere non ceſſat, ſimili ſtylo Bembi, & plerumque ſcripſit*. In alia Epiſtola eiuſdem Lilij his carminibus laudatur Viſdominus. *Nec neque Viſdominus miſſis qui ſæpè Campanis, Armoris Mercurio tollerio, ne vagus erret, &c.* Commentaria habuit etiam *ipſen Senecæ Tragedias*, quæ manuſcripta apud me aſſeruantur. Hunc virum extaſse habemus circa annos 1540.

Diem clauſit extremum pia morte elapſo nuper anno 1697. die 15. Nouẽbris Ill. Comes ANTONIVS PIPPVS CRISPVS Ioannis M. Filius, qui in primo Iuuentutis flore ſeculari plectro ſecularia ſtromata canens, lyram poſtmodum retractauit, eamquè Chriſti Crucifixi Imagini, quæ in Diui Lucæ Suburbana Eccleſia ſeruatur, cõnſacrauit. Multa extant poetica edita opera difusè, ſed præcipuè leguntur Ode duæ, & ſunt, *La Na-*

*ne*

Digitized by Google

*ue Sagra Vittoria*. *& Rauuiuamento Poetico della venuta di Chriſto, &c.*

ANTONII TASSINI Nihil adhuc mihi oculis ſois aſtulit, Poetæ tamen Nomine collaudatur à Ludouico Pictorio in eius operibus.

AVGVSTINVM etiam MVSTIVM in eodem Dialogo habemus non inſuauem fuiſse Poetam. Vidit Lilius eius quædam *Epigrammata* arguta quæ amatores ſuos habuerunt, proque ſic cecinit.

*Sed nequè cui paruo eſt virtus in corpore, maior*
*Muſtius obſequijs intentus, Principis vſquè, &c.*

Fideliſſima habuit cū Torquato Taſſo cōmercia dum iſte in Hoſp. S. Annę (cui præfectus tunc erat Auguſtinus) degebat, legimusque in laudem Muſtij varia carmina in operibus Torquati, Cineres quoquè celeberrimi Noſtri Ludouici Areoſti ab obliuionis iniuria primò traxit 1573, nobilique tumulo ac Elogio decorauit in Delubro Diui Benedicti, non alieno ære quàm proprio. Ex quò in eo extitiſse plurimum tanti Ciuis amorem dignoſcere facilimè poſſumus.

Eximius fuit vtraque lyra Poeta BERNARDINVS BARVFFALDVS I. V. D. quem in publicis Edictis, ac Sanctionibus Sereniſsimi Alphonſi Secundi Ducis Ferrariæ Cancellarij Ducalis nomine adſcriptum videmus. Eius *Muſa* paruam legimus *Il Paſtor Amoroſo* Ferrariæ excuſum anno 1565. Præter hanc Cantionem varia carmina latina extant in Opido Centi, à quò, vt notat Ioſeph Maria Pannīnus in huius Opidi compendio hiſt. f. 38. Hæc familia originem duxit, litteris, armiſque celebris floruit.

BAPTISTA PANETTVS, Carmelita, non minus Theologia, quam Poeſi præclariſsimus. Varia varijs temporibus opera poetica euulgauit, inter quę, vidiſse varia *Epigrammata* memini. Quod etiam affert Superbus f. 43. Sepultus eſt Ferrariæ in Eccleſia Diui Pauli anno 1510. ſeptuageſimo ſexto eius æui anno.

In

In Vita Ludouici Cati celebris I.C. à Bonauentura Angelo conſcripta, & edita Ferrariæ anno 1554. leguntur varia carmina BARTHOLOMEI MARTINELLI Ferrarienſis arguta, & poetica amenitate referta, quæ eorum auctorem Poetam fuiſſe teſtantur.

BAPTISTA SARACCVS Poetica ſtudia pallàm fecit in aliquibus carminibus iunctis in Præludio, libercul cuiuſdam Ioannis Baptiſtæ Bonacoſſę, in quorum carminum titulo vocatur ipſe Saraccus Doctiſſimus Dominus Ducalis à Secretis; quod etiam in eius Numiſmate æreo confirmatur. Leguntur inſuper eius varia carmina in operibus Hieronymi Falletti, circa 1570. diem ſuum obijt, honeſtoquè funere in Eccleſia PP. Sanctæ Mariæ de Roſa ſepultus eſt.

BARBARAM CABALLETTAM Vrſinę, ſeu Vrſulinæ Filiã, aliaſquè noſtras Ferrarienſes Muſas laudant Areoſtus, Boiardus, Guarinus Moronus, Taſſus, & alij apud Libanorium t. 3. f. 52. Vndècum alijs hic adnotare Iſtam ſtatui. Varia ſcripſit ſed quæ typis conſignata legimus difusè, ſunt *Madrigali*, *Canzoni*, *& Sonetti varij*. Quieſcunt eius Cineres in Eccleſia PP. Theatinorum Ferrariæ, vt notat Andreas Borſettus in ſupplemento ad Guarinum f. 133.

BONVS Poeta quidam lyricus Borſio Duci noſtro familiaris Ferrarienſis nomine honoratur à F. Leandro Alberti in deſcript. Italiæ f. mihi 285. Hujus Boni nihil vſquam perlegi, nullumquè alium de eo ſcribentem præmanibus habui. Sed Illius Hiſtorici celeberimi incorrupta fides, vrget, vt eum hic libenter adſcriberem.

BARTOLOMEVS FERRINVS, à Lilio commendatus ob pollitos ac terſos verſiculos, tùm latinos, tùm italicos quos pangebat. Ipſe quoquè legi varia eius carmina, Etruſca edita in Colecta carminum variorum Poetarum à Ludouico Dominico publicata. Fuit ab epiſtolis duorum Principum Alph. & Herc. Eſten. qui, vt ſupranotatus Lilius notat, ob eius fidem, integritatem, prudentiam, ac taciturnitatem

& in negotijs gerendis dexteritatem multò maiora erga eum animo conceperant, morte præreptus fuit anno 1545. agens trigeſimum octauum annum, vt ex funebri oratione conſtat.

BONAVENTVRA PISTOPHILVS inter mediocres Poetas à Lilio reponitur, vt potè verſatus cum Tito, ac Hercule Strozza, duo illa Poeſis latinæ ſydera, ſed potior Bonauenturæ gloria fuit in conficiendis epiſtolis, legitur tamen huius viri *la Paſſione di Chriſto in terza Rima*. Senex ſeptuagenarius lumina clauſit.

BARTOLOMEVS RICCIVS, poetica monumenta poſteris reliquit, quę in tomo 2. Card. Bembi numerantur. Naturę legibus ſatisfecit anno 1569. alia opera quoquè elaborauit quę à Libanorio t. 3. ennumerantur.

BERNARDINVS de COSTABILIBVS ſæpè laudatur in operibus Ludouici Pictorij Poętę Ferrarien., & Poetę nomine appellatur, nullum tamen aliud habeo huius Viri teſtimonium.

BARTOLOMEI PROSPERI fæcundiſſimus ſtylus multa peperit, propè tamen nulla leguntur, Poetę tamen nomine vocatur à Cinthio Giraldo in Hercule ſalutato canente

............. *Proſper*

„ *Scandit ouans Biugi qui celſa cacumina montis.*

„ *Dignaquè muſæo meditatur carmina Vate.*

Viuebat circa annos quos de Cinthio diximus.

CHRISTOPHORVM CONSTANTINVM Ferrarienſem ſubſcriptum lego in aliquibus carminibus in Ludouici Catti vita appoſitis, in quibus fratris dulcedo permaximè eluceſſit.

CAROLI MAPHEI, noſtri Conciuis perlegi librum ad Sereniſsimum inuictiſsimumquè Imperatorem, Romanorumquè Regem, de Captura claſsis Venetę miſſę in Ferrariam.

CÆSAR CREMONINVS è Cento, opido Ferrarienſi, non Mutinenſi, vt Imperialis in Muſeo ſcribit natus, floruit, vbiquè nominis maieſtatę præfulgens, Patauij Lector celebris, & Philoſophus inſignis. Poeticis etiā delectationibus ſcatuit, & legimus, *Chlorindo, e Valliero Poema. Aminta, e Clori Fau.*

Paſt. anno funeſtiſsimo peſtis 1630. eum dira mors ſurripuit octuagenarium in Vrbe Patauina vt loquitur Imperial. in Muſ.

CLAVDIVS quoquè FINVS in funere Hippolitę Eſtenſis flebile carmen edidit vario Verſuum Ritmo, & modulatione.

CLAVDIVS SIMON I.V.D. Comaclenſis origine à Libanorio Poetæ nomine inſignitur, cuius innixus fidei hunc inter alios adſcribo circa annum 1670. Vita functus eſt.

CAROLI quoquè STROZZÆ Comitis in Pręfatione Orationis eiusdã Guidubaldi Bonarelli leguntùr carmina etruſca, & facili facundia confecta, Vixiſſe hunc ſcimus annos circa 1600.

CAROLVS MAGNANINVS Sępè Muſarũ Lymphis potus plures edidit Poeticos fructus, in Eulogiorum miſcella P. Ludouico Antinorio efformata anno 1640.

CÆSAREM MORVM notat Lilius in toties recitato opuſculo, tùm proſa, tùm Verſu gratum adeò fuiſſe vt Juuenis publicè, vel orando, vel perlegendo libenter audiretur.

Non incelebris Poeta fuit CVRIVS LANCILLOTTVS PASIVS Rhetor, & Grammaticus inſignis qui Pataujj Lector longo tempore extitit circà annos 1510. Leguntur huius viri varia carmina latina Heroico Plectro efformata.

Fuit & DANIEL FINVS non inſulſus omninò Poeta, qui complurima ſcripſit, ſed extant pauca. Libanorius t. 3. fol. 94. ſcribens de Fino Fini Danielis Patre aſſerit legi Danielis huius, Elegias Varias, neſcio an impreſſas in quorum altera eſt quædam recondita de Fino eius Patre notitia 1500.

Non mediocris excellentiæ fuit DIONISIJ SCVTELLARIJ M. D. Muſa, quæ ſæpè plectrum ſumpſit ac ſuauiter cecinit, ſed ætate cantuquè feſſus defecit anno 1679.

Extat apud me quædam Tragœdia Sacra ſoluto carmine Italicè inſcripta, *Abràmo che ſacrifica Iſaco* 1611. cuius autor fuit P. DOMINICVS DE VECCHIS Ordinis Prædicatorum, cuius autoris aliud perluſtraſſe non recordor.

ENTIJ BENTIVOLI Junioris, varia manuſcripta in Amici mei manibus recondita perlegere potui, quæ, eius autorem ſua-

ſuauiſſima dulcedine refertum fuiſſe oſtentant Florebat circa 1620.

In Oratione quadam de diui Caroli laudibus, per Canonicum Gaſpar. de Leualorijs texta anno 1610. legi, & perlegi ſonulos aliquos FRANCISCI ANGVSCIOLI Ferrarienſis noſtri Virtute, & generis ſplendore clariſſimi, ibiquè extant alia carmina Reuerendi Domini FRANCISCI VENERIJ, pietate, & doctrina notiſſimi qui etiam tractatum de monialibus edidit anno, 1656. Itemquè legi poſſunt eodem libro verſus varij FRANCISCI MARTINELLI I.V.D. præſtantiſsimi.

FEDERICVS MIROGLIVS Comes Muſis placuit, & eius Poetici fructus, eius facundiæ ſpecimen, apparent in Encomijs P. Ludouici Antinorij celebris concionatoris olim Ferrariæ anno 1648.

FRANCISCVM GVITIVM Poetam non minoris notæ fatentur eius varia carmina, quorum ſiqua leguntur in Præfatione libri de Peſte editi à celeberimo noſtro Parolino Medico anno 1630.

Multa ſcripſit FRANCISCVS ALVMNVS, verè Muſarum Alumnus, & Poetico, & Oratorio ſtylo, quorum prima difuſa, & diſperſa legimus, eiuſquè artis fundamentum deduci poteſt, cum de plurimis, & quidem primioribus Poetis, eius verè doctum extet Judicium, apud varios, huius autoris fit mentio, inter quos enitent, Libanorus, Superbus, Gaddus, Guarinus, & Ghellinus, Septuageſimo eius vitæ anno obijt 1560. anno circiter, & eius cineres Ferrariæ in Eccleſia santæ Mariæ de Roſa conduntur, ſed eius monumentum non viſitur.

FLORIVS TORVS Laurea inſignitus, poetici ſtudij profeſſor, multa lyricè cecinit, & impreſsit, ſilicèt *Le grida di Cerere*, *Ode in laudibus Alexandri VII.* ſonulumquè vnum viuenti Leopoldo auguſtiſsimo Imperatori miſſum, à quò vt ait Libanorus, aureum monile pro grati animi argumento reportauit, Moriens tandem Mantuæ Virtutibus quas con-



Digitized by Google

fuerat deſiderium reliquit, ſepultus fuit in Templo PP. Theatinorum in eadem Mantuæ Ciuitate.

FABRICII SARACENI non nulla carmina etruſca leguntur in libro *Tempio della D. Gioanna d' Aragona* excuſſum anno 1555. pagina 224.

Varia Poetica ſcripta reliquit typis publicanda poſt eius obitum quod accidit 1638. FRANCISCVS LIBANORIVS, vt meminit Abbas Libanorius t. 3. f. 100. nihil tamen huius Viri excuſſum adhuc videre potuimus.

FRANCISCI BOVII, Græca lingua maximè celebris extant apud me varia antiqua manuſcripta carmina græca, & latina, à quibus eius magis procliuè Græcis quàm latinis verſibus genium apertiſsimè patet.

FLAVIVM ANTONIVM GIRALDVM totiès à Lilio in dialogo de Poetis recordatum per maximè in ſoluta Oratione, & carminibus potuiſſe aſſerit Paulus Sacratus in Epiſtolarum Vol. primo f. 367., & in eiuſdem voluminis prçliminaribus legitur Ode eiuſdem Flauij non inſuauis, ſic inciata.

„ *Quis hoc Beatum ter quaterque ſçculum &c.*

è vita migrauit circà annum 1585.

FRANCISCI TASSONI MARCH. In publici Tornei Proemio adeſſe varia eius carmina teſtatus fuit mihi cordialiſſimus, & fide dignus Amicus; quo tamen tempore floruerit non quæſiui.

Maximè in Poeſi verſatus FRANCISCVS SEVERVS Argentanus adducitur à Lilio ibidem f. 108.

Legi olim in prçuijs encomijs cuiusdam libri de Laudibus Herc. II. per Jo. Baptiſtam Bonacoſſum elucubrati varia carmina GABRIELIS AREOSTI Ludouici fratris, de quo notat præfatus Lilius f. 107. ſuaptè natura ac ingenio ad poeticam latum fuiſſe, cuius varia carmina varij generis, & poemata nonnulla leguntur m. m. s. s. Illi ingeniũ diſponendi & inueniẽdi nõ defuiſſe aſſerebant coętanei eius. Jo: Baptiſta Pigna quoquè in libro inſcripto Romanzi, hunc Gabriellem Statij Imitatorem acerimum celebrat f. 72. *Scolaſticam*, Lud. Comædiam ſuis verſibus quoque compleuit.

GAL-

GALLEATIVS ESTENSIS TASSONVS, in Cinthij Giraldi Hercule ſalutato, cognominatus fuit Aonidumque Decus, ex quo erui poteſt Poetam, & quidem alicuius Famę fuiſse.

GABRIEL BARTOLVS Eremitanus Diui Auguſtini pijs incumbens carminibus, & altiores deſerens tubas, Opus pium edidit carminibus compactum, Inſcriptumquè *Armonia Spirituale*. Verùm enim verò dùm alia typis exponenda parabat Ferrarię occubuit anno 1673.

HIERONYMI BOVII Sacræ Theol. D. & Canonici extant carmina in Colecta Nuptiali prò Marco Pio, &c. alibi etiam legi eius varia latina carmina in cuiuſdam Magnatis Obitu, quę omnia eum non infimi gradus Poetam fuiſse demonſtrant. Scribebat circà annos 1590. Huius viri meminit Superbus, in Apparatu Illuſtrium Virorum f. 20. Obijt 1596.

HONVPHRIVS ZARABINVS, ſubſecundarias impendens horas Poeticis exercitijs litterarię Reipublicę exibuit *Rimarum tomos duos* 1578.

HIPPOLYTHI DE ROBERTIS ſacra italica carmina apparent in Oratione de Diuo Carolo exarata per Canonicum Gaſparum Leualorium anno 1610.

HERCVLIS alterius BONACOSSÆ antiquioris illo de quo in prima Claſse tractauimus librum *Carminum, variorum* italicè prælo mandauit anno Chriſti 1545.

Carmina nonnulla Equitis HERCVLIS CATI leguntur in præcedentibus cuidam Orationi Guidubaldi Bonarelli in huius Sæculi exordijs edita prò Intrepidorum Academiæ erectione.

Poeſi aliquandò deditus fuit notiſsimus Ferrarienſis noſter F. HIERONYMVS SAVONAROLLA Ord. Pred., & huius delectationis indicium deſumo à Poeticis opuſculis eius, quæ variè diffuſa leguntur, & pręcipuè in libello meditationum ineſt Eius *Cantio italica*, ſolita ipſius inuehendi arte referta, ſic inchoans,

*Quando il ſoaue, e mio fido conforto*
*Per la pietà de la mia ſtanca vita, &c.*

& alibi alia ſic notata *Omnipotente Dio,*

*Tù ſai quel che biſogna al mio lauoro, &c.*

Circa hunc virum lege Libanorium qui plurimos t. 3. f. 162. Huius Viri vitæ ſcriptores adnotat, & indicat. Animam Conditori ſuo reddidit anno ſalutis 1498. quarantesſimo ſexto eius vitæ anno Florentiæ. Eius obitus Hiſtoria centum libris ennarratur, ideoquè oportunè ſilentij ſub tenebris, tranſeo ad

HIERONYMVM LIBANORIVM litterarum amantiſſimum, & in Poeſi verſatum, vnde à Ioanne Baptiſta Cato vocatur Muſis benemeritus, Huius tamen Conciuis noſtri, qui circà annum 1530. viuere deſijt nihil adhuc perlegi.

HERCVLEM VARANVM DE CAMERINO Poetico, & faceto modò potuiſse videmus in Collecta Poetarum huius generis ſcilicet Bernij Caporalis, &c. & aliorum f. 198. vbi leguntur eius Sonulirè eferente Libanorio p. 3. f. 48. Verùm enim verò ipſe vnum vel alterum legi, & eos eroicos non facetos inueni

HERCVLIS CABALLETTI leguntur varia in libello prò Nuptijs Marci Pij, & Cleliæ Farneſiæ, in quarto tomo etiam operum Torquati Taſſi leguntur varia huius Herculis, quem vixiſſe temporibus Torquati ſcilicet 1580. fateri conuenit.

Muſa Iucundiſſima HIPPOLYTHI GILIOLI hìc eſt enumeranda, plures enim eius Poetici fructus apparent ante Orationem Guidubaldi Bonarelli pro Intrepidorum Academia. Obijt ætate grauis anno 1610.

HORATIVS DE AREOSTIS, celeberimus Ludouici Nepos, & facultatum non minus quàm virtutis hæres. Muſarum in Lyceo nutritus, mæruit Ludouiçi Echum apellari. Extant huius viri *Madrigali*, *Sonetti*, *Canzoni*, *Ottaue*, *Epigrammata*, *&c.* & vltimò *Argumenta* ad Orlandum Furentem Ludouiçi Aui, ac ad Hieroſolymam Liberatam Torquati Taſſi, quæ omnia eius ſuauitatem oſtentant. In ſcenis quoquè luſit comædijs varijs, quæ iocis, & facetijs ſcatent, quarũ vna eſt. *La Strega*. Meruit, in eius ocaſu, armonica Echo laudari à Coſtantino

Pro-

Digitized by Google

Proſpero Poeta celebri. Senio non confectus, functus eſt vita anno 1597. immaturo vitę eius anno 38. & in Eccleſia S. Georgij extra Vrbem tumulatus eſt.

In Vita Ludouici Cati per Bonauenturam de Angelis conſcriptam inter alios Poetas, ſuam oſtentat ſuauitatem.

HIPPOLYTVS ORIVS neſcio quot carminibus. In miſcellanea quoquè Italica inſunt alia difuſa.

HIPPOLYTHI VISDOMINI plura apparent Poetica Opera, & præcipuè in preludio ad librum inſcriptum Torneo à piedi, &c. Hunc vnum ex optimis eius ætatis, quæ fuit circà 1660. Academicis fuiſse coætanei eius teſtabantur.

De Illuſtri NASELLORVM Familia præter ſupra adnotatam Antoniam, floruere Poeticis in facultatibus eius ſorores HIPPOLYTHA, & HIERONYMA, quorum ſcripta deſiderantur, Heredum enim incuria deperdita ſunt. In Diui Leonardi Eccleſia conditæ fuere, ac longo earum virtutum Elogio condecorantur, referente Guarino f. 190. in cuius calce hæc leguntur carmina.

*Viderat alma Venus ternas eecidiſſe Sorores*
*Numquid, ait, Charites tres cecidere meæ?*
*Cui Pallas, maior iactura eſt in tribus iſtis,*
*Muſas, & Charites tres cecidiſſe puta.*

Sæpius Muſis oblectatus eſt Iunior Marchio HERCVLES TROTTVS. Plurima ideoquè publici iuris fecit Poetica ſcripta, quæ aut apud ſolertiſſimos eius Natos, aut litteratorum per eruditas manus transferuntur.

Non minus maxima in dominando prudentia, & ſolertiſſima vigilantia populis in regendis, præclarus fuit, quàm ſcientijs amenioribus nunquam reticendus HERCVLES ESTENSIS Ferrarię Dux Quartus; cuius Aula, Muſarum Diuerſorium fuiſse notant illius æui ſcriptores. Lilius quoque Giraldus in Dialog. de Poet. S. T. Hunc virum, ait, ab ipſa pænè infantia carmina ſcripſiſse, ſed cura dominandi deflexum aliquandiù fuiſse, non nunquam tamen priuato Otio Muſarum



Digitized by Google

dulcedine attractum fuiſse conſtat. Cuius Viri ſplendidiſſimi nomine hanc meam diſſertationē exornare magnoperè gaudeo. Ætate grauis anno à redempto orbe 1559. viuere deſijt maximo Ciuium luctu.

Græcis, latiniſquè litteris, & Poeſi inſtructum fuiſſe HERCVLEM TROTTVM Alphonſi Filium refert quoquè Lilius ibidem, vnà cum HIERONYMO CASTELLO, cui (vt ſcribentis Giraldi præciſis vtar verbis) tam acris cenſura fuit, vt moriens teſtamento cauerit, nè Filij Poſteriquè, ſua ederent, eius tamen furtim ſublata Opera legiſſe, Giraldus, ait, quæ non ſinè Venere condita eſſe videbantur. In carminibus quoquè Ludouici Pictorij permaximè Hieronymus iſte Poetę nomine honoratur.

Reuerendus SANCTES PASTIVS Colecta Poeſiū nō pluſquàm ſemel edita ab eo in diuerſorum nuptijs, ſemper condecorauit carminibus IOANNIS MARIÆ GVICCIARDI de Bagnacauallo, tantùm abeſt, vt huius Poetæ ſtylus ſerperet, & mediocris ſaltem plauſus honore non eluceſceret.

Joannes Franciscus Ferra- Joannes Andreas Nigrulus

IOANNES MARIA DRAPERIVS I. V. D. in Epiſcopatu Ferrariæ Vicarius Generalis, Epigrammata multa compoſuit, quorum vnum, ni fallor, vel alterum legi poteſt in toties notato Opuſculo Joannis Baptiſtę Bonacoſsę, non prętermitens varia alia carmina inibi pręlo exarata JACOBI CAGNACINI I. V. D. ac IACOBI NOVARRII Ducalis Cancellarij.

JOANNIS VILLÆ Marchionis legi Olim varias Poeticas elucubrationes, pro P. Ludouico Antinorio celebri Concionatore, ac in calce cuiuſdam Opuſculi Franciſci Bernij Comitis, vndè colligi poteſt huius viri litteraria nobilitas ſanguinis ſplendori conſociata. Morbo tandem affectus ac ſenectute ſui deſiderium reliquit anno 1686.

IOANNES BAPTISTA ROSSELLVS Comes typis publicauit pijs carminibus Oratorium vnum inſcriptum *La Tromba della Diuina Miſericordia* 1676. & alia mm.SS. reliquit.

IA-

IACOBVS VITALIVS quamquam rudi, & impollito carmine tradidit tamen varia, interquæ elucet, *la Caduta d'Ario; & Intramezzi Spirituali.* Viuebat anno 1655.

IOANNES BAPTISTA GENNARVS Centenſis euulgauit in ingreſſu in hanc noſtram Vrbem à Felicis Recor. PP. Clemente Octauo anno 1598. facto; in eiuſquè tranſitu per Opidum Centi, varias octauas, non omninò ſpernendas.

IOSEPHI MARIÆ MVZZARELLI Ord. Capuccin. habetur carmina italica in eius oratione edita anno 1644. in Obitu Cæſaris Eſtenſis Mutinæ Ducis.

IOANNIS IACOBI VISDOMINI, ac IVLII RECALCHI legenda extant multa Poetica encomia Guidubaldo Bonarello eflormata. Obijt alter. 1645.

In Tomo Secundo Operum eximij Cardinalis Petri Bembi Veneti f. 205. Ciuis Ferrarienſis nomine apellatur IACOBVS SADOLETTVS Vir in Iuris prudentia, ac Poeſi celeberrimus, ibiquè fo. 530. leguntur eius varia, & quidem Eroica carmina latino [illegible] exarata.

IOANNIS MVZZARELLI varij verſus italici locum habent in [illegible] carminum, à Lud. Dominico eflormata, in qua vt potè omni arte repleti maximè elucent.

IOANNES BAPTISTA SARACCVS Iunior multa inſeruit carmina in nuptialibus Encomijs Caroli Gieſualdi, ac Eleonore Eſtenſis 1594.

In Scenam trahitur à Libanorio t. 3. f. 162. IO. BAPTISTA CATVS, qui, eo referente, plurimum Poetica arte caluit, & præter alia legitur Epigramma in laudem cuiuſdam Libanorij inſertum in proceſſu quodam, ab eo ibidem adnotato.

IVLIVS PIGANTVS Canonicus Ferrarienſis legenda exibuit multa, & varia Epigrammata incluſa in quodam Opuſculo Bonauenturæ de Angelis Ferrarienſis, ex quibus ſatis eius ſtyli ſpecimen habetur.

Varia leguntur publicis oculis exibita Epigrammata, & Poemata IACOBI EMILIANI celebris I. Conſulti, ſi credimus

mus

mus Libanorio t. 3. f. 112. E'vita deceſſit anno 1540. ac prima legalia edidit.

Satis Poeticæ facundiæ ſpecimen habeo JOANNIS BASCARINI M.D., cum eius ſuauia Poetica ſcripta legerim, quorum non nulla typis ellucent in Ferraria triumphante D. Aſcanij Pij de Sabaudia.

JVLIJ SIGNI publicata fuere olim carmina, & plurima in Vol. 3. Epiſtolarum Pauli Sacrati Canonici Ferr. & alibi circa annum 1580.

Poeſim hoc ſeculo ſepè illuſtrauit JVLIVS CÆSAR BLANCVS Centenſis, ſed tunc Opus coronauit quando Remp. Poeticam Paſtorali illa fabula ditauit, quæ apellatur *Trionfo d' Arcadia*.

JOANNES MARCHESINVS, varios, & quidem oblectantes verſus in Corona Epitalamica in Nuptijs Marci Pij, & cuiuſdam Farneſiæ publicauit.

JOANNEM AVRISPAM licet Siculum origine, tamen eo quia ab infantia Ferrariæ ſedem habuerit, hic inſero. Hunc Poeſi ſacrum fuiſſe ac Duci Borſio familiarem narrat Leander Albertus in Italiæ deſcript. f. mihi 185. & (quod magis reconditum eſt) Lilius G. Giraldus in eius Dialogo de Poetis ſui temporis f. 23. refert, ab hoc Auriſpa originem traxiſſe Ferrarienſem Stirpem Ciſtarellam, de qua varij autores tractant, & quæ multas ob cauſas claruit, nunc verò extincta eſt. Hoc tamen, neſcio quo titulo ſiletur, immò in contrarium adducitur, à Mareſta noſtro celebri Hiſtorico, qui de hac familia ſcribens in Theat. Gen. t. 3. f. 106. aliam aſſignat antiquiorem originem ſed minus credibilem.

JOANNIS BAPTISTÆ ESTENSIS TASSONI carmina Italica extant in Encomijs P. Ludouici Antinorij anno 1640.

JACOBVS ACCIOLVS Petri Antonij Filius Poeticæ artis ſequax vocatur à Lilio locis citatis, vbi apellatur parcus, & maximè ferax ſuorum carminum. Jbidem etiam JOANNES RONCAGHALLVS celeberrimus Juris peritus, ac huius nomi-

minis poſtremus Poeſi excellens apparet, & vixiſſe ſcimus circa annos 1550.

LEONELLVS ESTENSIS Ferrariæ Marchio, mirabili prudentia inſignis, cuius dominio mirificè floruit hæc noſtra Reſpublica. Scribente Superbo f. 94. valdè Muſarum amicus fuit, & non ſolum Poetas (dulci hoſpitalitate fouebat) ſed ipſe, Poetico ſpiritu feruens carmina emiſit, ac publicauit, quorum memoria obſoleta eſt temporis antiquitate. Jmproba ac intempeſtiua ęgritudo tantum virum abſtulit anno 1451. in Belriguardi Pallatio auguſtiſſimo, in quo tot connumerantur cellulæ quod dies annum integrum conſtituunt. Eius tamen cadauer celebri pompa in Eccleſia Angelorū tumulum obtinuit.

LVDOVICVS SARDVS admonente Guarino f. 264. Poeta fuit, non reijciendus. Eius Epitaphium in Diui Franciſci Eccleſia de eo teſtatur Muſarum decus fuiſse Eius *varia Carmina, Emblemataque* manuſcripta extabāt apud dictum Guarinum, vt lego in Manuſcriptis huius Viri, quę apud Amicum meum honorificè ſeruantur. Exceſſit è vita 3. Jdus Julij anni 1445.

LVDOVICVS GIRALDVS annorum 20. adoleſcens Syrenorum Olim Academiæ Princeps, Domi Eruditiſſimi Jacobi Emiliani, de quo ſupra tractauimus, ſibi ipſi morienti (tanquam Cycnus morte imminente) Epitaphium conſcripſit, quod à Superbo f. 99. hoc fuiſſe adducitur.

*Ludouicus erat nomen, Giralda propago*
*Luſtra quaterna ætas, mors violenta fuit.*
*Stirps mea degenerem non me tulit, alta parabam*
*Edere, & in medio, Parca recidit opus.*
*Mandaui extrema in tumulo mea Carmina figi*
*Parua mei hæc extent vt monumenta, Vale.*

Orationem quoquè Elegantiſſimam edidit, ac lumina clauſit circà annos 1580.

Plurima poetica ſcripta LVDOVICI II. AREOSTI rapuit temporis edacitas. Hæc perlegere impedimur, ſcimus tamen ſatis celebrem fuiſſe Poetam, vt habemus à Familijs Jllu-

lu-

Illuſtribus, Andreæ Borſetti f. 24. & apud alios teſtimonium non deeſt.

LVDOVICVS BONACCIOLVS Medicus Egregius, de quo tù Excellentiſſime Lanzone in tuis Iatrophyſicis Ferr. tàm politè loqueris. Sæpè Muſas familiares habuit, & præcipuè coluit in Carminum improuiſa textura, Vndè tantam meruit ab Eſtenſibus Laudem, ob eleuatum illud Diſticon, in Iurgijs inter Ferragutum, & Herculem Principem Eſtenſem, compactum, quod eſt:

*Vicerat ille alios, hunc vincunt Herculis arma*
*Præmia victus habet, victor vterquè fuit.*

Aſſeritur hoc à Cinthio Giraldo in Libro *Diſcorſo intorno à quello, che ſi conuiene à Giouine Nobile, &c.* f. 64. Laurea condecorauit eundem Cinthium, & ſexagenarius migrauit ad Superos, veram Virtutis nobilitatem adeptus.

LVDOVICVS ANDREOLVS multa conſcripſit ac edidit per impreſſiones publicas, varijs functis dignitatibus, vt Libanorius ait t. 3. f. 198. Legitur Oratorium *Il Trionfo di Fede.*

LVDOVICVS GARBO de quo loquitur Giraldus ſuprècitato Opuſculo f. 106. inſignem gloriam ſuo tempore adeptum fuiſse. Floruit enim Leonello, & Borſio Principibus Ferrariæ, eum protegentibus. Euulgauitquè Opera, & ſoluta, & ligata Oratione, quæ diſperſa leguntur, florida tamen ſunt, & tanta quæ ſi collecta fuiſſent maximæ molis volumen efformarent, vt Libanorius f. 190. aſſerit. Senex animam cęlo reddidit circà annum 1460.

De LANFRANCO GYPSIO Lugenſi qui extinctus fuit anno 1550. & de LVDOVICO PARISETTO Regienſi plura habere Potes circà eorum Poeticam facundiam in Giraldi Opuſculo toties adnotato. Ne mireris tamen Lector ſi ſæpius hoc Auctore vſus ſum; ſcripſit enim iſte de ijs quorum fermè à nullo alio fit mentio.

MAVRITIJ MORI leguntur *Epitalamium*, *Madrigalia varia*, & alia non nulla in nuptijs Federici Pici.

Plu-

Plurima extarent componimenta MICHAELLIS LAMBERTJ niſi temporis ædacitas ea labefactaſset. Huius itaquè Ferrarienſis fructus parui admodùm leguntur, ſi tamen aliqua Poetica cupis in toties memorato Opuſculo I. Bapt. Bonacolſi videre potes vna cùm varijs Carminibus eruditi viri NASCIMBENI de NASCIMBENIS valdè elegantia Poetica refertis.

E BECCARIORVM Familia plures exierunt Poetę, quos antè encomio collaudauimus. In hac ortum habuit NJCOLAVS egregius Poeta, à nemine Hiſtoricorum noſtrorum recordatus, Medicinæ Profeſsor fuit, & Poeſis. Ità ait Alexander Salicinus in ſubiectis Poeticis f. 90.

*Quanto vaglia ò Beccari ingegno, & arte, &c.*

& alibi. *Come attende Fulibo Ankra al varco, &c.*

Cui Beccarius reſpondet alijs carminibus, & quidem ſuauibus. Alijs quoque plurimis in locis eius Poetica monumenta perleguntur. Efflorebat circà annos 1550.

NICOLAVM CONTHVGVM Poetam, omni Poeſis genere inſtructum laudat Superbus f. 117.

Oratorem celeberimum, atquè excellentem Poetam, NICOLAM PANNICCIATVM Libanorius t. 3. f. 214 præconizat, cuius meminit etiam Lilius in ſupra citatis Dialogis. Ego quoque eius varia Poetica manuſcripta poſsideo.

NICOLAI BENDEDEJ carmina ipſe Giraldus fatetur maxima attentione perlegiſse, eo quia ſuaui dulcedine eſsent condita.

ODJ de CANALIVM Nobili Stirpe, Poetica ſcripta tempus conſumpſiſse refert Libanor. t. 3. f. 215. quæ, vt ipſe ait, plurima erant, & pulcherima.

OCTAVIVS MAGNANINVS Philoſophiæ Doctor, ac ſcientia, morumquè ſuauitate celebris. Eruditioni ſacro profanæ incubuit, ediditquè variàs huius ſcientiæ fructus. Diu noſtræ Academiæ Intrepidorum ſedit à Secretis, & varia varijs in locis difuſa Poetico ſtylo euulgauit. Tu quoquè Doctiſſime Lanzone, eius Poſtillas, ac quidem acutiſsimas habes Torqua-



Digitized by Google

quati maiori Poemati annexas, quæ eius Poëticam artem latiſsimè oſtendunt. Mortalitem expleuit dùm Huius noſtræ Communitatis à Secretis preſideret vertente anno 1652. die 18 Februarij.

OLYMPIA MORATA Puella ſupra ſexum ingenioſa, latinis, & græcis litteris erudita, Nupta fuit Grunthero, & improuiſatrix ſubtiliſſima fuit, varia Poeticè ſcripſit, quæ m. ſcripta deperduntur, eius tamen memoriam habemus in Giraldo, f. 106. ac in Epiſtolis Gaſparis Sardi f. 52.

ORPHEI MAGNI Poetæ non vulgaris venæ librum carminum M. S. perlegi cui titulus eſt, *Carminum rudiores Primitia*. In hoc elucet Homæri Odyſſæ liber primus Exametro carmine reformatus, ac etiam leguntur argumenta eodem carmine efformata in libros omnes Metamorf. Ouid. vna cum varijs Eglogis, Epigram. Seruatur in Muſeo Reuerendiſs. D. Can. Julij Cæſaris Grazini, Domini ac Amici mei peculiaris.

PAVLLVM CASTELLVM excellentem Poetam laudat Eq. Mareſta, ac Duci Borſio cariſſimum, in Theat. Geneol. t. 3. fol. 82.

PARACINVM VISDOMINVM lepidis ac melifluis carminibus audiuit Academia noſtra quę carmina manuſcripta leguntur iucundiſsimo ſale conſperſa.

